

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 90. (Neovidensis 1808. Nro. 89.)

O r a t i o P o l i t i c a .
D e D i v i n a t i o n e ,
S e n t e n t i a .

▲ars divinandi hodierna aetate ingrata & periculosa ars est.

Hermund, de divinat.

Ita sane est; haneque sententiam omnes Pseudo politici, Ephemeridumque scriptores altum in animos demittant oportet. Plerique veterum prophetarum, aut a tyrannis indigne tractati, aut a rudi plebecula lacessiti fuere; Divinarunt importuno tempore. Omnia ab articulo pendent, quo scenam ingredimur. Quod si Mahomedes quinque & quingentis annis tardius comparuisset, fortassis derisus fuisset. Hodie non oremaretur quidem, verum — ad trahendas naves damnaretur.

Non potest quidem propugnari: fieri prorsus non posse: ut futurus rerum eventus perspiciatur. Hæc illa dos est, cui Philosophi, & æsthetici hodierni nomen velata Intrinsicitas, sensus harmonicus, mundus magicus impertiunt, quam percellente, & magica ratione semet ipsos, & nos una fefellerunt, hoc est, ut illi vocant, animæ sublatio, per quam sublimem elationem nonnullus ad solana usque tuberosa sublimatus est. Ventus, quæ vult spirat.

Quotidie nova rerum, quæ geruntur, monstra publicis auribus excipiuntur. Ephemerides vaticinantur, & si eventus non respondet, pridem, quæ false scripta, oblivioni tradita sunt, sic dies diem excipit; superi! an Evangelium scribitur? at opinio: orbem politicum incessantibus mutationibus obnoxium esse, vetus est, nostraque ætate veritati propior quavis alia. Igitur licet in his adjunctis multum pseudo statistam agere, multum ratiocinari, multum spem aut metum refricare, verbo: multum divinare.

Moralis doctrina, nobis haudquaquam prætereunda, statum hodierni nobis exhibet temporis. In pluribus locis, ubi nimium Pseudo Politicæ vacabant, interdicta in eam lata sunt. Metus ergo continuo homines tenet, metusque qui rationibus trepidat, divinationis capax est.

Validus hic animæ ductus, qui quovis tempore opus Indulgentiæ fuit, in ævum perseveraturus est.

Eadem ratione in via historica de Hispania divinare licet. Seditio hispanica adversus Gallos in Annalibus plus vice simpli ei locum memorabilem occupabit. Paradoxum in ea nonnihil videbitur. Nimia fiducia ferebantur Gallicæ copiæ in Hispania dispersæ, quapropter reprimi, atque partim abscindi poterant. Nulla Europæ natio tantam nationalem arrogantiam præsefert, & in religionis ritibus adeo firma est, hispanica.

Jam vehementes hi affectus bellum intestinum omnium cruentissimum efficient. Ad datur his æstus hispanici Climatis, viæ impracticabiles, provinciæ copioso minorum montium jugo amplæ hujus regionis discretæ, distinctio gallici exercitus a patria, per asperos Pyrenæos, difficultates transportationis viæqualium & commeatus, — ex altera parte: promptitudo Anglorum, Hispanos omnibus quibus possunt, subsidiis expedite & liberaliter opitulantium, tum enimvero facile intelligetur: quæ sit ratio, cur gallicæ Copiæ, quæ snppetias ex longissimis regionibus petendas habebant, cur inquam Gallicanæ Copiæ adhuc majores progressus non fecerint.

Magna tragœdia mox exordietur. Copiæ coactæ, actus distributi sunt, quivis dies expectatur adventu Napoleonis nobilis apud exercitum; cujus excelsum ingenium grande problema solvet, intra breve tempus aut vi, aut bonis pactis seditiosam gentem ad ordinem reducendi.

Situs, quo exercitus gallicus ad præsens gaudebat, præstantissimorum & invictissimorum unus est. Extenditur is a Bilbao per vallem in longitudine Iberi, cujus ambæ ripæ superiores occupatæ tenentur. Copiæ præcursoriæ in ripa dextra edito situ pollent, aut in partibus, quæ montibus his versus interiora Hispaniarum patent, ut exercitus gallicus, ut primum offensivum bellum occipit, omne prælium facile ingrediatur, dum interea Seditiosi agminibus singularibus, sub pluribus

ducibus in sua bellandi ratione admodum restricti sunt.

Videntur primi exercitus Gallici motus in dextro Cornu initium sumere, ad Seditiosos ex Hispania boreali meridiem versus reprimendos. Anglosque ab universali communicatione cum iis prohibendos. Usque eo lævi cornu agendi ratio magis defensiva videtur.

Verum metuendum est, occupatione Madriti bellum nequaquam terminatum iri, australemque, & montium feracem Hispaniam aliquanto tempore similem futuram Vindocicensi provinciæ, & Calabriae, quarum præsidium præter numerosos portus rupes Gibraltaræ futura est.

Eventa probant assertum. Jam Gallicis de 26. Oct. Parisiis hæc continentur: „Heri Sua Maj, Imperator & Rex festivo habitu ædes Collegii legibus ferendis adibat, ad Conventui exordium dandum. Postquam Serenis. Pro Præses M. Elector (Princeps Benevent.) veniam a Maj. impetrasset, eos, qui a Sessione Anni 1807 Deputati Collegii legislativi renunciati, ad præstandum Juramentum præsentandi, facta est nominalis horum Deputatorum promulgatio per Quæstorem D. Despallieres, & singuli ad pedes solii solenne Jusjurandum nupropaverunt.

Peracta proclamatione dicebat Imperator: „Domini Deputati Collegii legum ferendarum! Codices legum, quibus principia proprietatis, & Civilis libertatis, argumenta laborum vestrorum, continentur, assensum & adplau-

sum Europæ ferunt. In meos subditos salutarem jam exerunt effectum Novissimis legibus fundamentum jactum Systematis nostri ærialis. Est hoc monumentum virium & magnitudinis Galliarum. Jam a præsentis tempore erogationes, quas universalis Europæ Coalitio deposceret, solis annuis nostris redditibus sufferendo essemus. Nunquam deinceps adactos nos existimabimus ut ad media chartaceæ monetæ, aut petitionem mutui, & Deperditas confugiamus.

Hoc anno mille ultra horas intra ambitum Imperii mei peregrinabar; Systema ad perficiendam œconomiam a me adjectum intuitu laborantium, gnaviter in effectum deducitur. Conspectus amplæ hujus familiæ Gallicæ, paullo ante adhuc disceptæ per opiniones, & intestinas discordias, jam nunc in statu beato, tranquillo, concordi, animum meum vehementer adfecit. Sensi: ad felicitatem meam præprimis certitudinem, Galliam felicem esse, desiderari.

Pax Posoniensis, Tilsitensis, adgressio Hafniæ, usurpationes Angliæ Jurium omnium gentium, commercium & maritimam navigationem exercentium, diversæ revolutiones Constantinopoli, & quæ in Hispania Portugalliaque evenere, diversa ratione in negotia orbis egere.

Russia & Dania mecum adversus Angliam fœdus pepigere. Status fœderati Americæ commercio marique renunciare maluere, quam Anglicanum jugum agnoscere. Pars co

piarum mearum adversus eas proficiscitur, quas Anglia in Hispania constituit, aut continenti exposuit. Singulare profecto divinae providentiæ beneficium! affectus Anglicani Cabineti ea caligine mentis punitos esse; ut defensionem maris dimittat, tandemque copias suas continenti exponere in animum inducat.

Paucis post diebus isthinc discedam legiones præiturus, Deique auxilio Madriti Regem Hispaniarum inauguraturus, aquilasque meas præsidio Ulyssiponensi erecturus. Amplæ mihi rationes suppetunt, cogitandi modum principum fœderis Rhenani laudandi, Helvetia quotidie magis percipit beneficia legis Intermediationis. Populi Italiæ omnem præbent causam, iis acquiescendi.

Imperator Russiæ, & ego, nos Erfurti vidimus. Prima cogitatio nostra fuit cogitatio pacis. Decrevimus ipsi, aliqua immolare, quo ocius, si fieri potest, Centum millionibus hominum, quos repræsentamus, omnia illa maritimi commercii beneficia procuremus. Concordes, & invariables sumus pro pace juxta, & bello.

Domini mei Deputati Collegii ferendis legibus! Jussi ministrum rei ærariæ & publici thesauri vestris Dominationibus rationes erogationum & reddituum hujus anni proponere. Cum voluptate ex iis percipient, non opus me habere, ullam novam præstationem elevandi. Subditi mei nullo novo onere gravabuntur. Oratores Consilii status mei di-

versa quæ obijci possent, proponent, in ceteris quæcunque ad Codicem Criminalem referuntur. Confido mutæ operæ vestræ,"

Oratio hæc Imperatoris vivacissimum fervorem excitabat. Conventusque solutus inter repetitas pro vita Imperatoris acclamations. Jubilus resonabat in compitis, quæ Imperator prætervectus.

(Ita Monitor) Imperatrix, Regina Hollandiæ & Princeps Domina Borghese auspiciis Collegii leg. fer. intererant. Legatus quoque Persicus, totum Corpus Diplomaticum & frequens illustrium advenarum Chorus in iis visebatur.

Ephemerides hujates memorant: duos Cursores Erfarto Londinum expeditos Gallicum unum, alterum Russicum, dieque 20 h. h. Bononiæ naves conscendisse.

In iisdem sub Rubrica Londino de 30. Sept. leguntur Litteræ Regis Sveciæ, ad Imp. Russiæ jam Ephem. Statisticis cum animadversionibus, Danicis editæ adnexis aliquot excerptis litterarum in nave Classis Anglicanæ in Tago scriptarum. In Adnotatione litteris illis adnexa inter cætera habetur: litteras memoratas, si commentum non sunt manifestum Anglicanæ auctoritatis opus fore, tantique ab anglicano ministerio fieri, ut eas in omnes linguas vertendas curaverit, per universam Europam dispergendas, & tantam copiam per oras distribuendam, ut integri faeces earum, in manus teloniarum inci-

Litteræ Bajonna de 29. h. referunt: Machionem de la Romana denis circiter millibus nocte 19. ad S. Andream adpulisse, 11 & 12 processisse ad se cum Blackio conjungendum, qui auctus his suppetiis rursus Bilhao tetendit. Gen. Dux Merlin vigore Jussorum acceptorum urbe cessit, & Durangum se recepit, ubi agmen Gen. Ducis Verdier Victoria egressum deprehendit. Plurimæ copiæ ex octiduo Bajonna egressæ easdem stationes petunt.

In hac Typographia prostat venalis:

- Catechismus Ecclesiarum Imperii Gallici
8vo 1 fl.
- Diarium Comitiorum 1805 cum acclusis. &
articulis, Hung. & Latine. Fol. 3 fl. 20 kr
- Item Diarium Comitiorum 1808.
Georch, Jus patrium. pp. 3 8vo 4 fl.
-